





*1710 4.8. 13*  
*9.29. num. 25.*  
*11a*  
*20*

DISPUTATIO DE JURIDICA  
**VITIO REALI  
ET PERSONALI,**

*P. 11*

Quam  
ADNUENTE DIVINA GRATIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.  
ET DVCATVS MAGDEB. GVBERNAT. CETERA,

IN ILLUSTRi ACADEMIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E  
**JAC. FRIDERICO LUDOVICI,**  
J. U. D. Profess. Publ. & Fac. Jurid.  
Adessore,

*Ad d. Januar. MDCCX. H. L. Q. C.*  
Placido Eruditorum Examine submittit

**GEBHARD CHRISTIAN  
BASTINELLER,**  
Hallenfis Magdeburgicus.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.



270

DISERTATIO  
VITIO REALLI  
ET PERSONALI

AGENTE DIVI GRATIA  
RECTORIS ACADEMIAE  
D. PHILIPPO WILHELMO  
PRINCIPIS BOHEMIAE

IN REPTI ACADEMIA ERUDITIONA  
JAC. FRIDERICO FIDOVICI  
F. L. D. P. R. O. P. M. & C. L. J. M.

GERHARD CHRISTIAN  
BASTIANER

1770





Q. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
VITIO REALI ET PERSONALI.

CONTENTA TOTIUS DISPUTATIONIS.

**D**octrina de vitio reali & personali ad materiam de usucapionibus & praescriptionibus pertinet, §. I. Vitii descriptio, §. II. huiusque descriptionis explanatio, §. III. Vitia realia, §. IV. Personalia, §. V. Fundamentum huius distinctionis in jure Romano, §. VI. Gl. ssa vitium reale subdistinguit in reale vere tale & quasi reale, §. VII. Exempla ad utramque subspeciem pertinentia, §. VIII. & IX. sententia Bartoli de vitiis realibus & personalibus, §. X. sententia Balbi, §. XI. Brunnemanni, aliorumque, §. XII. Regula generalis de vitiis realibus, §. XIII. Vitium furtivi tollitur, si quando res furtiva, vel vi possessa in domini potestatem reversa, §. XIV. De questione, quid eo casu statuendum, si debitor creditori rem pignori datam subripuit & alienavit? Antinomia notata inter nonnullas leges in hac materia, §. XV. Removeatur dubium, assertioni nostrae obstat, §. XVI. Refutatur opinio Balbi & Bartoli de rebus immobilibus vi possessis

sis circa questionem: an talis res in potestatem veri domini reverti debeat? §. XVII. De partu ancilla furtiva remissive. De factu pecudum furtivarum opinio Struvii & Bachovii diversa, §. XIII. Probatur sententia Struvii & respondetur Bachovio, §. XIX. De conciliatione §. 6. cum §. 5. l. 48. ff. de furt. diversa DD. opiniones, §. XX. De fructibus aliarum rerum vitiosarum. Quid intuitu fructuum obtineat, si mala fides deinde superveniat? §. XXI. Bona fidei possessor rerum vitiosarum fructus perceptos interdum revocabiliter, interdum irrevocabiliter suos facit, §. XXII. Ipse fur rem furtivam nullo tempore prescribit, nec ejus heres, bene tamen tertius possessor longissimo tempore. Qualem effectum hac prescriptio intuitu tertii possessoris producat? §. XXIII. Transitus ad vitia personalia. Ille, ex cuius facto vitium personale provenit, usucapere nequit, §. XXIV. Idem in successore universali obtinet. Respondetur ad l. 24 §. 1. ff. de usurpat. §. XXV. Exceptiones Balbi, quas nullius momenti esse ostenditur, §. XXVI. Vitium personale singulari successori non nocet, si hic antecessoris accessione uti non vult, §. XXVII. quomodo jure novo distinguatur? §. XXVIII. & quomodo Auth. mala fidei. C. de prescript. long. temp. limitetur? §. XXIX. Exempla vitiorum personalium in immobilibus, §. XXX. in mobilibus, §. XXXI. Res aliena à sciente alienata vitio reali adfecta est, §. XXXII. qua ratione itaque adfertio DD. de vitio personali in rebus clam & precario possessis procedat, exponitur §. XXXIII. Corollare de pretio ex re furtiva redacto.

## §. I.



## Inquisitio de vitio reali

& personali ad materiam de usucapionibus & præscriptionibus pertinet. Notum enim est, quod & Leges & Doctores, legum interpretes, quinque requisita recensent, quæ in usucapione concurrere debent, bonam fidem, titulum ad transferendum dominium habilem, rem non vitiosam, legitimum tempus & continuam possessionem. Circa bonam fidem, titulum, tempus & continuam possessionem non occupabimur in præfenti, sed solummodo circa *vitia*, rebus aut personis inhærentia. Hoc tamen præmonemus, nos in subsequentiis, quando usucapionem non obstante vitio personali interdum locum habere posse adstruimus, reliqua requisita, præ aliis autem bonam fidem, semper supposuisse.

## §. II.

*Vitium* describimus, quod sit certa quædam qualitas, ex facto illicito alicujus proveniens, quæ vel rei usucapiendæ, vel personæ usucapere volenti inhæret atque simul efficit, quo minus usucapio regulariter locum habere queat. Dicimus: quod sit qualitas vel *rei usucapiendæ*, vel *personæ usucapere volenti* inhærens, atque inde divisio vitiorum nobis nascitur, quæ quidem, prout ex inspectione commentariorum & compendiorum patebit, à multis præsertim recentioribus negligitur, ipsa tamen, quod deinde demonstrabimus, maximam utilitatem non solum in theoria, sed praxi etiam habet, unde

eam neutiquam seponendam, sed accurate exponendam esse necessitas postulat. Quid enim juvat regula, qua plerumque utuntur, rem vitiosam non posse usucapi, si cum vitiis rerum vitia personarum miscemus & hoc facto regula illa tot patitur instantias, ut nescias, utrum vera sit, an falsitate laboret? utrum potius exceptionum, quam regularum numero adscribi debeat?

## §. III.

Diximus etiam, vitia, de quibus locuturi sumus, efficere, quo minus usucapio *regulariter* locum habere queat. Patebit enim ex infra dicendis, vitia illa non semper eodem effectus producere, præcipue intuitu tertii possessoris. Ergo in descriptione nostra, ut justum est, posuimus regulam, exceptiones autem deinde subnectendæ erunt. Et ad hæc exceptiones respeximus in §. I. quando diximus: usucapionem non obstante vitio personali *interdum* locum habere posse. Quæ ideo hic in limine monenda fuerunt, ne quis in diversis illis assertionibus contrarietatem aliquam latitare existimet.

## §. IV.

Sunt itaque, prout §. II. innuimus, vitia duplicis generis. Alia dicuntur *realia*, quæ rei in hærent & proinde ad quemcunque possessorem transeunt, quo pertinent ex *mobilibus* res furtivæ propter legem Atiniam, §. 2. *f. de usucap. l. 4. §. 6. ff. de usurpat.* res amotæ, veritate enim furtum fit, etsi lenius coercetur mulier, *l. 29. ff. rer. amot.* res vi ereptæ & possessæ ex lege Julia & Plautia, §. 2. *f. de usucap. servus fugitivus*, quippe qui sui ipsius furtum facit, *l. 1. C. de serv. fugit. an & res hereditaria surrepta? negatur in l. 1. §. 15. ff. si is, qui testam. lib. & l. ult. ff. expilat. heredit.* quia fur possessionem alterius intervertit,



tit, possessionem autem hereditas (vacua, five jacens) non habet: exceptio est, nisi forte pignori dederat defunctus, aut commodaverat, aut in ea usufructus alienus est, his enim casibus Julianus hereditariarum rerum furtum fieri & usucapionem impediri existimat, l. 68. ff. de furt. Ex immobilibus referuntur huc res violento modo occupatae, ex quibus alter dejectus fuit, §. 7. ff. de usucap.

## §. V.

Alia vitia sunt *personalia*, quae personae solum inhaerent, non rei, & proinde ad quemcunque possessorem non transeunt. Talia sunt vitium litigiosi, l. 1. C. de praescript. long. temp. aut si quis loci vacantis possessionem, propter absentiam, aut negligentiam domini, aut quia sine successore decesserit, sine vi nanciscatur, & deinde in alium ignorantem transferat, §. 7. ff. de usucap. item, si res aliqua per vim compulsivam alteri extorta ad tertium b. f. possessorem pervenit, l. 3. C. de his, quae vi met. caus. Referunt huc etiam vitium clandestinitatis & precarii, v. Balbus de praescript. part. 3. princip. part. 2. qu. 12. num. 3. in f. Plura addemus infra §. XXX. seq.

## §. VI.

Antequam ulterius progrediamur, operae pretium erit, ut ostendamus, distinctionem à nobis adlatam non esse cerebrinam, sed eandem in ipsis legum fontibus fundamentum habere, simulque probatorum DD. praecipue antiquiorum calculo adprobatam esse. Quod jus civile attinet, praeter aliis huc pertinet l. 24. §. 1. ff. de usurpat. & usucap. ubi Pomponius ita: *interdum, etiamsi non fuerit inchoata usucapio à defuncto, procedit heredi ejus: veluti, si vitium, quod obstabat non ex personae, sed ex re,*  
purga-

*purgatum fuerit. Ex re, ut puta, si fisci res esse desierit, aut furtiva, aut vi possessa. Habes hic vitia ex re & deinde ex persona. Adduntur etiam exempla vitiorum ex re, v. g. de rebus fisci, furtivis & vi possessis: vitia ex persona non recenset quidem Pomponius, illa tamen cognitio vitii ex re facile suppleri possunt. Vitia ex re sunt purganda, non vitia ex persona, de qua purgatione & reliquis ad intellectum legis spectantibus infra suo loco dicitur §. XIV. & XXV.*

## §. VII.

*Glossa ad l. II. C. de acquir. & retin. possess. hac de re ita statuit: Dic, vitia alia realia vere, ut res furtiva & vi possessa violentia ablativa, non compulsiva, (vid. supra §. V.) item res data Præfidi contra L. Juliam repetundarum, l. pen. ff. ad L. Jul. repet. alia quasi realia, ut in §. sed aliquando. i. ff. de usucap. ubi agitur de casu, si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat, & in l. bonæ fidei. 48 ff. de acquir. rer. dom. & l. f. ff. de usurp. alia personalia, ut dolus dans causam negotio, vel incidens ex proposito: item mala fides, quando quis credit venditorem non habere jus vendendi: item scientia rei alienæ, ut commodatarii, depositarii & creditoris. De precaria & clandestina re dubitatum fuisse addit glossa, simul tamen existimat, non adesse ibi vitium rei, quia precaria est justa, quod cum domini voluntate fiat, item, pergit, subtiliter inspiciens pendere potest, quod licet clandestina dicatur possessio, non tamen dicitur clandestina res, ut in l. clam. 6. ff. de acquir. vel amitt. poss. De litigiosa constat, quod non est vitiosa vitio rei, (v. §. V.) De effectu vitiorum plura habet glossa, quæ deinde adducemus.*

## §. IIX.

## §. IIX.

Convenit itaque glossa cum nostra distinctione ex *l. 24. §. 1. ff. de usurpat.* desumpta, quod vitia sint vel realia, vel personalia. Discrepat autem à nobis, quod vitia realia subdistinguit in realia vere & quasi talia. Ipsa quidem subdistinctio salva nostra thesi retineri potest, præcipue, quoniam glossa de utraque subspecie idem prædicat, scilicet vitium & vere & quasi reale ad quemcunque transire possessorem. Interim tamen monendum est, glossam non satis accurate procedere circa applicationem exemplorum ad singula membra subdistinctiois pertinentium. Ita, quando de vitiis quasi realibus loquitur, ad *l. bonæ fidei. 48. de adquir. rer. domin.* nec non ad *l. f. ff. de usurp.* provocat, in quibus rerum pupillarium, vi possessarum, aut Præsidi contra *L. Jul. Repetund. donatarum* nec non furto subreptarum mentio injicitur, cum tamen vitium furtivi & violentiæ sine dubio & ex sententia ipsius glossæ ad vitia realia vere talia pertineat.

## §. IX.

Si conjecturis locus aliquis concedendus est, fundamentum subdistinctiois glossæ hoc fuisse videtur. Qualitas rerum præscriptionem earundem impediens vel oritur demum ex facto alicujus illicito, v. gr. in rebus furtivis & vi possessis, (vid. supra §. II.) vel *rebus jam inhaeret abstrahendo etiam ab omni facto illicito*, quo pertinent res sacræ, religiosæ, fisci, pupillorum, &c. Priori casu ex sententia glossæ vitium reale vere tale adesse videtur, nominat enim glossa præcipue vitium furtivi & violentiæ: *posteriori* autem vitium quasi reale, nam in *§. 1. ff. de usucap.* & in *l. bonæ fidei. 48. ff. de usucap.* inter alia rerum sacrarum, religiosarum, pupillarium, nec non libe-

B

ri ho.

ri hominis mentio injicitur, quorum intuitu lex usufructuacionem impedit, ad illos autem textus provocabat glossa, ubi exempla vitiorum realium quasi talium suppeditare volebat. Quamvis vero, uti in §. *preced.* diximus, subdivisio glossæ nostræ thesi non adverteretur, sed salva illa retineri posset; interim tamen, quoniam adlata subdivisio in textibus juris expresse non est fundata, non peccabimus etiam, si illam seponamus, relinquendo tamen lectori liberum arbitrium, quid hac in re statuere velit. In verbis enim sumus faciles, modo in re conveniamus.

## §. X.

Agedum, videamus nunc porro, utrum nostra distinctio etiam probatorum DD. calculo firmata fuerit. Prodeat primum Bartolus Saxoferrateus, qui diversis in locis de eadem differit, præcipue ad l. 13. ff. *de acquir. poss.* Quæro ergo, inquit, an hic loquatur de vitio reali, vel personali? de utroque potest intelligi: ideo Azo ponit, ut utatur adminiculo auctoris sui, scilicet in vitio personali. Quæro, an ista vitia, vi, clam, vel precario, sint vitia realia, vel personalia? & glossa, que est hic, prout dicit, de vi dicit, quod sunt tres violentiæ: una est expulsiva, vel ablativa, & ista est realis: compulsiva est personalis. Quæro, quid de quasi violentia? ut l. cum querebatur. II. C. unde vi [ubi agitur de casu, si quis vacuum possessionem absentis occupavit,] & dicam idem, quod de clandestina. Quæro, quid de clandestina? & recita glossam. Sed de possessione clandestina habes in §. quod autem ad res. ff. *de usucap.* quod non est vitium reale. Quæro, an possessio precaria sit vitiosa vitio reali? & respondeo, quod sic, glossa dicit contra (vid supra §. VII.) sed illud verum, si ille, qui possidet

det naturaliter precario, non volens restituere privat me civili & trahit ad se, ut in §. qui ad nundinas, & tunc violentia illa esset realis, quia vere violentia est: sed si precarium habeat civilem naturam, licet precario, nolens restituere, non est vitium reale, sed personale, quia talis possessio est similis possessioni creditoris, sed si creditor non vult restituere & injustè vendit, non est vitium reale in re immobili. In re mobili posset committere furtum & tunc esset res vitiosa propter furtum, alias non. Quæro, utrum vitium litigiosum sit reale, & dic quod non, ut l. 1. C. de præscript. long. temp. & l. vitia. C. eod. Nos de precario & reliquis infra mentem nostram specialius aperiemus. Ceterum confirmat etiam Bartolus conjecturam nostram supra §. IX. adductam de mente glossæ quoad vitia realia quasi talia. Ita enim loc. alleg. subjungit: Quæro, quid in re pupilli, & fisci, vel in fundo dotali? & dicuntur quasi realia, quia transeunt in singularem successorem. Ex prædictis collige distinctionem ex te: aut sunt vitia realia, vel quasi, aut personalia.

## §. XI.

Audivimus Bartolum. Verba jam faciat Johannes Franciscus Balbus, Taurinensis, nam & hic in tract. de præscript. part. 3. princ. part. 2. quæst. 12. num. 3. seqq. non pauca de vitiorum diversitate tradit. Ita vero ille: secundo præmitto, quod quædam sunt vitia impediunt præscriptionem, quorum aliqua sunt realia, alia vero personalia. Realia autem sunt, ut violentia & furtivitas. - Et dicuntur ista vitia realia, quia ad quemcunque transeat res, transit cum isto vitio impediente præscriptionem, donec purgatum fuerit vitium per reversionem in potestatem domini. - Quædam vero sunt vitia personalia, ut si quis mala fide

*possidet rem, non tamen per vim, vel per furtum, sed alias in ea habet malam fidem, ut quia scit, eam ad alium pertinere. Istud appellatur vitium personale. Item vitium clandestinitatis & vitium precarii dicuntur clandestina, &c.*

### §. XII.

Adfunt adhuc plures ex veteribus, ut Aretinus ad §. *furtiva*. ff. *de usucap.* aliique, qui quoad distinctionem inter vitia realia & personalia cum Autoribus modo ad ductis consentiunt; verum omnes excerpere velle superfluum & nimis prolixum foret, unde opera illa super federe possumus, praesertim cum & huc pertineat vulgatum illud: unum si noris, omnes cognoveris. Quod recentiores, quos nobis evolvere licuit, attinet, deprehendimus, illos nimis generaliter ut plurimum de vitii praescriptionem impediendis locutos esse simulque vitia realia à personalibus, ut decebat, eos non separasse. Brunnemannum, decus illud Jctorum, excipimus, qui in utroque ad Pandectas & Codicem Justinianum commentario hanc vitiorum diversitatem probe adnotavit. Ita ad l. 5. ff. *de divers. tempor. praescript. num. 4.* Notetur igitur, inquit, ex h. l. distinctio inter vitia possessionis realia & personalia. Reale (1) est furtivitatis, (2) si quis rem immobilem vi occupet - - Vitium personale est mala fides, item vitium litigiosi, item, si quis possessionem vacantem propria autoritate ingressus sit, item si quis precario, aut commodato rem possederit &c. Similia habet ad l. II. C. *de adquir. & retin. poss.* ubi ad classem earum rerum, quæ vitio reali adfectæ sunt, etiam res pupillares, Praesidi donatas & res Fisci refert, de quibus glossa vitium reale, quasi tale praedicabat. Conf. etiam Schneidewin, *ad tit.*

*J. de*

*J. de usucap. tit. de specieb. præscript. n. 62. seqq. qui glossam sequitur.*

§. XIII.

His ita generaliter præmissis ad applicationem nunc progredimur. De vitiis realibus sequentem ponimus regulam: *Vitia realia non solum impediunt præscriptionem intuitu ejus, qui vitium induxit, v. g. fur, raptor, &c. sed transeunt quoque ad omnes ejusdem successores, sive illi sint universales, sive singulares.* Ita enim lex vetus Atinia referente Gellio l. 17. c. 7. statuebat: *ejus, quod subreptum erit, æterna autoritas esto.* Plenius vero Imperator in §. 3. *J. de usucap.* constituit: *quod autem dictum est, rerum furtivarum & vi possessarum usucapionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet, ut ne ipse fur, quive per vim possidet, usucapere possit: (nam his alia ratione usucapio non competit, quia scilicet mala fide possident,) sed ne ullus alius, quamvis ab iis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, usucapiendi jus habeat.* Inhærent ergo ejusmodi vitia rebus & cum illis quasi circumambulant & ad quemvis possessorem perveniunt. Neque enim verba adlata: *qui ab eis b. f. emerit, vel ex alia causa acceperit,* ad successorem singularem primum saltem pertinent, sed ad secundum etiam, tertium & ita porro, in quo neminem forte dissentientem habebimus.

§. XIV.

Exceptio regulæ in §. præc. tradita est, *nisi res furtiva, vel vi possessa, in domini potestatem reversa fuerit, tunc enim vitio rei purgato procedit ejus usucapio, §. 8. J. de usucap.* Reverti autem debet in domini potestatem, non in ejus vitique, cui subrepta est & qui dominus non fuit, hoc enim vitium non purgat, unde creditori subrepta &

B 3

ei,

ei, cui commodata est, in potestatem domini redire debet, *l. 4. §. 6. ff. de usurpat.* & ita quidem, ut (1) possessio rei avelli iterum nequeat ex eadem causa, *d. l. 4. §. 12. § 26.* nam si dominus per vim adhibitam rem suam recepit, ad eandem restituendam omnino obligatur & sic res cum effectu juris in illius potestatem nondum rediit, v. Hilliger *ad Donell. l. 5. c. 28. lit. D. Brunnemann ad l. 4. ff. de usurpat. num. 6.* Deinde (2) possessio ita debet reverti ad dominum, ut scilicet dominus sciat, eam rem suam esse, unde si ignorans rem mihi subreptam emam, ea in potestatem meam non videtur reversa, *d. l. 4. §. 12.* Ceterum res quoque reversa esse censetur, si dominus rem sibi subreptam vindicaverit & litis æstimationem acceperit, licet corporaliter ejus non sit nactus possessionem, quod idem est, etiam si voluntate mea res ista alii tradita sit, *d. l. 4. §. 13. § 14. ff. de usurpat.* Sed quid est, quod in *l. 215. ff. de V. S.* dicitur: *in lege Atinia in potestatem domini rem furtivam venisse videri, & si ejus vindicandæ potestatem habuerit, Sabinus & Cassius ajunt*, an ergo sola vindicandi potestas sufficit? puto, hanc legem vel ex *cit. l. 4. §. 13. § 14.* explicandam, vel de eo etiam casu intelligendam esse, si dominus vindicare potuisset, deinde tamen rem possessori sponte reliquit & sic jure suo se abdicavit. Si pupilli res subrepta, sufficere dicendum est, si tutor ejus sciat, redisse eam in domum pupilli: & si furioso, sufficere, curatores scire, *d. l. 4. §. 11. ff. de usurpat.*

## §. XV.

Anceps est quæstio, quid eo casu statuendum sit, si debitor creditori rem pignori datam subripuit & alienavit, quomodo scilicet vitium furtivi hic purgetur? Paulus



lus in l. 4. §. 21. ff. de usurpat. hac de re ita statuit: si rem pignori datam debitor subripuerit & vendiderit, usucapi eam posse, Caspius scribit: quia in potestatem domini videtur pervenisse, qui pignori dederit: quamvis cum eo furti agi potest, quod puto rectius dici, add. l. 5. ff. pro emt. Labeo ita in l. 49. ff. de usurpat. Si quid est subreptum, id usucapi non potest, antequam in domini potestatem pervenerit. Paulus: imo forsitan & contra. Nam si id, quod mihi pignori dederis, subripueris: erit ea res furtiva facta, sed simul atque in meam potestatem venerit, usucapi poterit, denique in l. 6. C. de usucap. pro emt. ita habetur: Cum sit probatum, rem pignori fuisse obligatam & postea à debitore distractam: patam est, eam non potuisse quasi furtivam usucapi. Valde desudant DD. in conciliandis hisce textibus, prout videre est apud Osvaldum Hilligerum in Donell. enucl. lib. 5. c. 28. Reinhardum Bachovium ad Treutl. Vol. 2. Disput. 21. th. 3. lit. B. §. circa hanc tractationem, & Ulricum Huberum in pralect. ad tit. 7. de usucap. §. 12. Singula recensere nimis prolixum foret, imo & inutile, cum neutra ex illis prætenfis conciliationibus fundamento aliquo nitatur, quod præterea jam ante nos ostendit illustris Thomafius in not. ad Strauch. Diff. 8. th. 9. Apertam itaque inter l. 4. §. 21. ff. de usurpat. & l. 5. ff. pro emt. ex una, atque l. 49. ff. de usurpat. ex altera parte pugnam esse existimamus, priores enim leges rem pignoratam à debitore subreptam & distractam usucapi posse expresse & clare affirmant, posterior autem hoc clare negat & requirit, ut pignus subreptum in potestatem creditoris revertatur, quam pugnam ipse agnoscit Huberus loc. cit. in ejusmodi agnitione alias valde difficilis. Interim sententia Labeonis in d. l. 49. ff. de usurpat. confirmata fuit in l. 6. C. de

*de usucap. pro emt.* quod usucapio non procedat, nisi res in potestatem creditoris reversa fuerit, quæ etiam sententia tanquam æquior in praxi sine dubio servanda.

## §. XVI.

Ast, dicis, posuisti in §. XIV. rem reverti debere in domini potestatem. Si ergo ipse debitor rem pignoratam creditori subripit, illa res subrepta utique in potestatem domini reversa est. Porro etiam dictum in eadem §. XIV. rem creditori subreptam reverti debere in domini potestatem, qui dominus sine dubio debitor est, quia per oppignorationem dominium in creditorem non transfertur, *l. f. 6. & 9. C. de pignor. act.* Verum responsio est facilis. Res à tertio quodam subrepta & hinc vitiosa facta, in domini potestatem reverti debet: ast in casu §. præc. proposito non tertius, sed ipse dominus rem creditori subripuit, qui tamen creditor jus in re in pignore habebat. Ergo reversa quidem est in domini potestatem res illa, sed modo legibus prohibito, unde eo ipso vitium non purgatur, sed de novo in rem subreptam inducitur.

## §. XVII.

In rebus immobilibus vi possessis speciale quid adesse existimat Balbus *de præscript. part. 3. princ. part. 2. qu. 12. num. 3.* statuens, purgari vitium violentiæ, si res revertatur in potestatem *possessoris expulsi, licet non sit dominus.* Provocat ad Bartolum, qui ad *l. certe. 6. §. Julianus 3. ff. de precar.* ita ratiocinatur: *nota hunc textum, quia hic habes, quod res vi possessa potest usucapi, licet non revertatur in potestatem domini, quia sufficit, quod revertatur in potestatem expulsi, ut expresse hic dicitur, quod est notandum,*

*dam, quia nescio hoc alibi.* Verba textus, ad quem commentatur Bartolus, hæc sunt: *Julianus ait, eum, qui vi alterum deiecit, & ab eodem precario rogavit, desinere vi possidere & incipere precario: neque existimare, sibi ipsum causam possessionis mutare: cum voluntate ejus, quem deiecit, ceperit precario possidere: nam si ab eodem emisset, incipere etiam pro emtore posse dominium capere.* Ex verbis hisce ultimis: *pro emtore posse dominium capere*, Bartolus absque dubio notabile suum deduxit. Si enim per vim expulsus rei possessæ dominus fuisset, dominium quoque in emtorem transtulisset neque hic usucapione pro emtore opus habuisset. Ast quoniam in lege dicitur, expellentem, si rem ab expulso, vel dejecto emisset, pro emtore dominium capere posse, hinc sequitur, quod dominium penes dejectum non fuerit. Verumenimvero, quod salva autoritate Bartoli dictum sit, ego nihil peculiare in adlata lege deprehendo, quod differentiam aliquam inter res mobiles furtivas & immobiles violento modo possessas intuitu purgationis vitii rei inhærentis involvat. Dejectus enim, de quo loquitur lex, possedit opinione domini, nec de alterius dominio constituit, ergo etiam in alterius potestatem reverti non potuit res violento modo adprehensa. Idem vero positus ejusmodi circumstantiis in rebus mobilibus furtivis, aut per vim ablatis obtinebit. Quod si vero possessor opinione domini non possidet, & de alterius dominio constat, v. g. si alicui res commodata, pignori data, &c. est, eo casu de mobilibus expresse dicitur in *l. 4. §. 6. ff. de usurpat.* (vid. supra §. XIV.) rem non in creditoris & commodatarii, sed domini potestatem reverti debere. Ergo quia expressus textus in contrarium non adest, in-

C

immo-

immobilibus idem juris erit, utique enim res immobiles vi adprehensæ cum rebus mobilibus furtivis atque per vim ablatis semper comparantur & ab illis ad has in dubio præsertim in hac materia argumentum procedit. Imo, quid multis verbis opus. In *l. 5. C. de usucap. pro emt.* expresse dicitur, *violenter possessione amissa, priusquam in domini potestatem perveniat, usucapio emtori (etsi bona fide mercatus est) non competit, quam legem Bartolus sine fundamento ad solas res mobiles restringere videtur.*

### §. XIIX.

Sed quid de *partu ancillæ furtivæ* dicendum? Variæ hic iterum fuerunt Jctorum veterum opiniones, quibus aliquot paginas implere possemus, si singulas leges diversasque DD. conciliationes referre vellemus. Ast cum ea quæstio hodie directo usum non habeat, & præterea celebres Jcti de ea jam fuisse egerint, Lectorem ad Bachovium in *not. ad Treutler. Vol. 2. Disp. 21. th. 3. lit. a & b* nec non ad Struvium in *S. I. C. Exerc. 43. th. 9.* remississe satis erit. Utilior est quæstio de *fœtu pecudum furtivarum*, ad quemnam scilicet ille pertineat, an ad possessorem præsentem, apud quem fœtus editus fuit, an ad verum rei furtivæ dominum? Struvius *loc. cit.* illum fœtum b. f. possessori simpliciter adjudicat & hinc proinde aliud obtinere dicit, quam in partu ancillæ furtivæ, cujus intuitu inter alia distinguebatur, utrum partus ille apud furem, an vero apud b. f. possessorem conceptus fuerit, quod hic perinde esse existimat. Textus à Struvio allegati duo sunt, & primus quidem est in *l. 4. §. 19. ff. de usurpat.* ubi ita Paulus: *Lana ovium furtivarum, siquidem apud furem detonsa est, usucapi non potest: si vero apud b. f. em-*

f. emtorem, contra: quoniam in fructu est, nec usucapi debet, sed statim emtoris fit. Idem in agnis dicendum, si consumti sint, quod verum est. Alter textus desumptus est ex l. 48. § 6. ff. de furt. ubi Ulpianus ita: ex furtivis equis nati statim ad b. f. emtorem pertinebunt: merito, quia in fructu numerantur, at partus ancillæ non numeratur in fructu. Hæc est Struvii sententia. Bachovius paulo aliter ad Treutler. loc. cit. existimat enim intuitu fœtus animalium eodem modo distinguendum esse, ut in partu ancillæ furtivæ, ut nempe fœtus ad bonæ fidei possessorem spectet, si apud ipsum conceptus fuerit, non autem, si apud furem. Provocat Bachovius ad l. 48. §. 5. in f. ff. de furt. ubi Ulpianus idem & in pecudibus servandum esse dicit, & in fœtu earum, quod in partu, & ad l. 10. §. 2. ff. de usurp. ubi iterum Ulpianus: Scævola lib. II. quæstion. scribit, Marcellum existimasse: si bos apud furem concepit, vel apud furis heredem pariatque apud furis heredem, usucapi ab herede distractum juvencum non posse: sic (inquit) quemadmodum nec ancillæ partus. Scævola autem scribit, se putare, usucapere posse & partum: nec enim esse partum rei furtivæ partem. Ceterum si esset pars, nec si apud bonæ fidei emtorem peperisset, usucapi poterat.

## §. XIX.

Nobis Struvii sententia præferenda esse videtur. Nam præter l. 4. §. 19. ff. de usurpat. quam in §. præced. jamdum adduximus, alius adhuc textus in l. 48. §. 2. ff. de acquir. rer. domin. habetur, sententiam illam liquido confirmans. Ita enim Paulus: Et ovium fœtus in fructu sunt & ideo ad bonæ fidei emtorem pertinent, etiamsi prægnantes venierint, vel subreptæ sint. Et sane, quin lac suum faciat, quamvis plenis uberibus venierint, dubitari non potest. I-

demque in lana juris est. Equidem Bachovius *loc. cit.*, hunc textum de eo casu explicat, si oves apud bonæ fidei possessorem conceperint; ast non adparet fundamentum hujus explicationis, sed potius Paulum de agnis apud furem conceptis locutum esse, exempla reliqua de lacte & ovis plenis uberibus venientibus, nec non de lana haud obscure indicant. Ast, inquit Bachovius, aliud est in lana, aliud in agnis; nos vero desideramus, quod Bachovius rationem adlatæ differentiæ non suppeditaverit, quam nos hariolari non possumus. Fœtus scilicet æque in fructu est, atque lac & lana. Sed quid faciemus cum Ulpiano, qui in *l. 48. §. 5. ff. de furt. idem in pecudibus servandum esse dicit, & in fetu earum, quod in partu?* Equidem non infrequens alias est, ut Ulpianus à Pauli sententia recedat eique contradicat; ast vero in præsentī casu necessarium non videtur, ut ejusmodi dissensionem inter Duumviros illos statuamus. Ipse scilicet Ulpianus in *d. l. 48. §. 6. ff. de furt.* Pauli sententiæ accedit statuendo, quod in fœtu pecudum non idem servandum sit, quod in partu, ex ratione, quia fœtus pecudum in fructu numerantur, partus autem ancille in fructu non numeratur, quam diversitatem Ulpianus expresse ad fœtum ex furtivis equis apud bonæ fidei possessorem natum adplicat.

### §. XX.

Ut ergo §. 6. cum §. 5. *cit. l. 48.* conciliaretur, varia fuit Jctorum sollicitudo. Cujacius *l. 15. obs. 20.* particulam non §. 5. inferendam esse existimat, ut dicatur: non idem in pecudibus servandum esse &c. reprehensus propterea à Roberto, defensus autem ab Antonio Mercatore, vid. Gothofred. *in not. ad d. §. 5.* Connanus 3. *comm.*

15. num. 3. per modum interrogationis *d. §. 5.* legendum esse existimat: *idem §. in pecudibus servandum est? Et.* ut sic responsio negativa deinde ex *§. 6.* subjungatur, quod displicet Bachovio *loc. cit.* Fatemur cum eodem, conciliationes illas quodammodo contortas esse & coactas; interim tamen & hoc certum est, quod sensus *d. §. 5.* prout in corpore juris habetur plane sit corruptus & *§. 6.* aperte contradicens, unde ad minimum ille *§. 5.* decisionis loco in hac controversia adduci nequit, quis enim crederet, Ulpianum, virum sagacissimum, in una eademque lege, imo in duobus §§. quorum unus alterum immediate sequitur, sibi ipsi contradixisse. Sed quid de *l. 10. §. 2. ff. de usurp.* (quam *§. XIX.* retulimus,) dicendum? Respondemus, contextum ostendere, quod Ulpianus duas opiniones Jctorum recenseat, neutram vero expresse adprobet, unde eam adprobasse censendus erit, quæ cum *d. l. 48. §. 6.* convenit, illa vero est sententia Scævola, *conf. l. 26. ff. de V. S.* quæ etiam Ulpiani est. Nescio itaque, quid in mentem venerit Dionysio Gothofredo, quando *in not. add. l. 10. §. 2. ff. de usurpat.* scribit, *Ulpianum non probare sententiam Scævola*, eum in finem, ut hunc textum cum *l. 48. §. 5. ff. de furt.* conciliaret; quoniam scilicet ipse *in not. ad d. l. 48. §. 5.* fatetur, quod *§. 5.* emendatione opus habeat. Si vero emendandus, nulla certe conciliatione cum *l. 10. §. 2. de usurp.* opus erit.

## §. XXI.

Quæ hæctenus de foetu aliisque fructibus rerum furtivarum diximus: illa eodem modo ad res vitiosas quas-cunque applicari debent. Nec interest, inquit Paulus *in l. 48. pr. ff. de adquir. rer. dom.* ea res, quam bona fide

emi, longo tempore capi possit, nec ne: veluti si pupilli sit, aut vi possessa, aut Præsidi contra legem repetundarum donata, ab eoque alienata sit bonæ fidei emtori. Sed quid, si deinde cognovero rem alienam (aut vitiosam) esse & sic mala fides superveniat? Paululum obscure quidem loquitur Paulus, sed revera tamen negat, fructus, postquam m. f. supervenit, ad possessorem pertinere, in *d. l. 48 §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* affirmat è contrario Julianus in *l. 25. §. 2. ff. de usur.* possessorem adhuc fructus acquirere, quamdiu fundus evictus non fuerit, etiamsi eum cognoverit alienum, unde antinomiam inter citatas leges hic agnoscunt DD. etiam Covarruvias, etiam Menochius alique apud Brunnem. in *Comm. ad d. l. 25. de usur. n. 3.* alii autem *cit. l. 25.* ita intelligunt, quod possessor interim saltem & revocabiliter fructus suos faciat, de quo nos in §. seq. mox pluribus dicemus. Quidquid vero senserit Julianus, merito in orbe Christiano recepta sententia Ulpiani in *d. l. 48. §. 1.* quod statim, quando quis consequitur noticiam rei alienæ, fructus suos non faciat, Wissenbach *Dissert. 18. thes. 9.* Brunnem. *d. l. num. 4.*

## §. XXII.

Ita quidem manet thesis, quod b. f. possessor fructus earum quoque rerum, quæ vitio reali adfectæ sunt, percipiat; interim tamen exceptio quoque subjicienda erit. Scilicet Paulus in *l. 48. pr. ff. de acquir. rer. dom.* asserit, b. f. possessorem fructus ex re aliena perceptos interim suos solummodo facere, & quod ad fructus attinet, illum loco domini pene esse. Sed quid hoc est interim? Respondent, distinguendum esse inter fructus extantes & consumptos. Textum adductum pertinere ad fru-



fructus extantes, quos possessor *revocabiliter* suos facit, id est, tam diu retinet, quamdiu verus rei possessæ dominus non supervenit, nec rem illam vindicat, si vero ille supervenit, non solum res principalis sed fructus etiam extantes restituendi sunt à b. f. possessore. Et hac ratione etiam *l. 45. ff. de usur.* & quidem verba: *sicuti nec cujuslibet b. f. possessoris*, intelligi debere existimant, quamvis inter duas leges illas pugna esse videatur. Si fructus percepti *consumti* sunt, irrevocabiliter ad b. f. possessorem spectant, quod idem obtinet in extantibus, si usucapti, usucapi enim possunt, quia fructus rerum, furtivarum non sunt earundem pars, *l. 10. §. 2. ff. de usurpat.* quæ est Ulpiani. Ast Paulus in *l. 4. §. 19. ff. eod.* putat, non opus esse usucapione, sed statim fructus emtoris fieri; explicandus videtur Paulus de fructibus *consumtis*, quorum intuitu nulla usucapione opus est, & hanc explicationem suadent verba immediate subsequents: *idem in agnis dicendum, si consumti sint*, quod enim verba: *si consumti sint*, ad solos agnos restringi non possint, exinde liquido patet, quoniam nulla differentiarum ratio inter agnos & reliquos fructus deprehenditur. Reliqua, quæ de acquisitione fructuum dici possent, partim a scopo aliena, partim ab aliis jamdum pertractata sunt, unde prolixiores non erimus, vid. Brunnem. *ad l. 48. ff. de A. R. D. & Carpzov. P. 3. C. 32. D. 38.*

## §. XXIII.

Diximus supra §. XIII. quod vitia realia præscriptionem impediunt, non solum intuitu ipsius furis & raptoris, sed quoque intuitu omnium successorum, universalium & singularium. Unam ejus regulæ exceptionem dedimus §. XIV. sequitur nunc altera. Scilicet adstruunt

struunt DD. & ipsum furem & tertium possessorem rem vitio reali adfectam *praescribere posse*, non quidem tempore ordinario, bene tamen *longissimo*, id est, *triginta annis*, nam, inquit Balbus *de praescript. part. 3. princ. part. 2. qu. 12.* illa (longissimi temporis) praescriptio locum habet in rebus etiam invasivis, violentis vel furtivis, quia per tantum tempus purgatur vitium reale. Allegat idem Balbus post glossam bonum textum, ut ipsius stilo utamur, in *l. 1. §. ad haec l. C. de annal. except.* ubi dicitur, nullius actionis, neque furti, neque vi bonorum raptorum, neque alterius cujuscunque personalis vitam longiorem 30. annis esse, v. Gothofred. *in not. ad d. l. Quidquid vero sit de hoc textu, jure canonico, quod hac parte in praxi sequimur, nec longissimi temporis praescriptio procedit, prout ipse Balbus agnoscit, deficit enim bona fides, quam tamen jus canonicum aequae in praescriptionibus longissimi, quam longi temporis requirit. Idem de herede, sive successore universali, adfirmandum, ille enim in omnia vitia antecessoris succedit. Manet itaque exceptio intuitu tertii bonae fidei possessoris solum, sed iterum cum hac limitatione, quod ille b. f. possessor, quamdiu deinde post completum usucapionis tempus in possessione constitutus manet, exceptione praescriptionis adversus dominum petentem securus sit, e contrario autem, si ab hoc possessore res ad tertium pervenerit, vero domino facultas vindicandi iterum competat, illustr. Stryk. *in not. ad Lauterbach, tit. de usurpat. verb. vitiosa.**

## §. XXIV.

Hac de vitiis realibus, Nunc ad *personalia* progredimur. Hic vero iterum distincte procedendum, nam

nam interdum quæstio est de illo ipso, *ex cuius facto vitium tale provenit*, interdum autem de *successore* eoque vel *universali*, vel *singulari*. Quod illum attinet, *ex cuius facto vitium personale provenit*, res clara est, quod usucapioni locus non detur, mala fides enim impedit, quo minus præscriptio initium suum capere possit. Ergo hoc respectu perinde est, sive res aliqua reali, sive personali vitio laboret, utroque enim casu usucapio impeditur propter defectum bonæ fidei, v. pr. *J. de usucap. ab init. verb. ut qui bona fide.*

## §. XXV.

De *successore universali*, sive herede, idem esto iudicium. Elegans hanc in rem habetur textus in *l. II. ff. de divers. tempor. præscript.* ubi Papinianus (juxta Haloandrum Julianus) ita: *cum heres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit: veluti cum sciens alienum illum illo, (Haloander: ille,) vel precario possedit: quamvis enim precarium heredem ignorantem non teneat, nec interdicto recte conveniatur: tamen usucapere non poterit, quod defunctus non potuit. Idem juris est, cum de longa possessione queritur: neque enim recte defendetur, cum exordium ei bonæ fidei ratio non tueatur. Sed videtur obstare l. 24. §. 1. ff. de usurpat.* ubi Pomponius, *interdum*, inquit, *etiamsi non fuerit inchoata usucapio à defuncto, procedit heredi ejus: veluti, si vitium, quod obstabat non ex persona, sed ex re, purgatum fuerit; verum non obstat ille textus, scilicet dicit Pomponius heredem usucapere posse, si vitium reale, quod inhærebat rei, fuerit purgatum, non vero asserit, quod heres usucapiat, si vitium sit personale, verba enim non ex persona propterea saltem, legi inseruit, ut ostenderet, sibi de vitiis personalibus*

D

sermo.

fermonem plane non esse adeoque de iis nihil in illa lege esse decisum. Solus Dynus in hac materia dissentit, qui putat, quod de æquitate canonica mala fides defuncti non nocet heredi, si vult inchoare præscriptionem ex persona sua; sed partim illa æquitas est cerebrina, partim etiam Dyni sententia communiter reprobata, de quo pluribus Balbus *de præscript. part. 3. princ. p. 2. qu. 12. n. 12.* Idem interim Balbus *n. 13.* malam fidem antecessoris herediti in quatuor casibus non nocere existimat, de quibus breviter nunc videbimus.

§. XXVI.

*Primus casus est, si quis alteri succedit in Prælatura, sive beneficio.* Verum hæc exceptio est plane impertinens, quoniam Prælaturæ & beneficia ecclesiastica Jure hereditario non deferuntur. *Secundus est, si heres inventarium fecit;* sed hæc exceptio fundamento caret, quia heres, si ve cum beneficio inventarii, si ve absque eo hereditatem adeat, nihilominus in omnia antecessoris vitia succedit. Inventarium siquidem à solutione æris alieni, quatenus illud vires hereditatis excedit, heredem quidem liberat, non tamen à vitiis defuncti. *Tertius casus est, si defunctus in præsumta mala fide solum fuit,* v. g. in errore juris constitutus. Ast hic primo obstat, quod error juris noviter acquirere volentibus nunquam proficit. Ergo nec defuncto, nec heredi. Posito autem, errorem juris non obesse defuncto, casus tamen huc non quadraret, quoniam quæstio de tali antecessore concepta est, qui ob impedimentum malæ fidei usucapere nequit. *Quartus casus denique est, quando heres vult præscribere ex titulo, quem habet à tertio.* Verum tunc non consideraretur ut heres, sed ut extraneus, & sic casus iterum impertinens esset.

effet. Quid ergo remanet de Balbi exceptionibus? Nihil & nil.

## §. XXVII.

Progredimur ad *successorem singularem*. De hoc Ulpianus in *l. s. pr. ff. de divers. temp. præscr.* ita: *an vitium autoris, vel donatoris, ejusve, qui mihi rem legavit, mihi noceat, si forte autor meus justum possidendi initium non habuit, videndum est. Et puto neque nocere, neque prodesse: nam denique & usucapere possum.* Quod vero Ulpianus hîc de vitio personali loquatur, ipse contextus ostendit (nam vitium reale omni successori nocet,) & Glossa, Gothofredus, aliique confirmant. Intellige dicta de eo casu, *si successor antecessoris accessione uti non vult*, si enim quis utitur adminiculo & persona autoris: uti debet cum sua causa, suisque vitiis, *l. 13. §. 1. ff. de adquir. vel amitt. poss.* & realibus & personalibus, Gothofred. *in not. add. l. 13. §. 1.* Et hoc ipsum Ulpianus in textu ante citato innuebat, quando vitium autoris mihi neque nocere, neque prodesse dicebat.

## §. XXIX.

Jure novo adhuc porro distinguendum. Si male fidei possessor alienat rem, videndum, *utrum verus dominus, qui rem sibi competere putat, ignoret alienationem factam & jus vindicandi rei alienatæ exinde oriens, an vero alienam sciat.* Posteriori casu res longo tempore decem, vel viginti annorum à b. f. possessore usucapitur, imputet enim sibi dominus, quod sciens rem suam alienatam esse intra longum illud tempus actionem non instituerit, vel prout Imperator loquitur, litem non fuerit contestatus. *Priori casu si dominus alienationem rei suæ ignorat, triginta annorum lapsu res à b. f. possessore demum*

demum adquiritur. Ita rem decidit Justinianus in *Nov. 119. c. 7.* ex qua desumpta est *Auth. malæ fidei. C. de præscript. long. temp.*

§. XXIX.

Assertio, quod b. f. possessor contra dominum ignorantem triginta annis demum præscribat, duplici modo limitatur. *Primo* ea saltem locum habet in rebus immobilibus, quod exinde colligunt DD. quia in *cit. Auth. præscriptionis longi temporis* fit mentio, quæ ad res mobiles non pertinet, atque sic jura antiqua de rebus furtivis (conf. infra §. XXXII. & XXXIII.) harum intuitu incorrecta manent. *Secundo* dicta assertio ad *primum* emtorem, sive successorem singularem restringitur, qui emit, vel alias causam habuit à malæ fidei possessore: secus itaque est in eo, qui causam habet à primo emtore bonæ fidei habente causam ab alio autore malæ fidei & sic in successore mediato. Nam tunc secundus emtor, vel causam habens, præscribit rem longo tempore non obstante mala fide primi autoris, quia non nocet nisi immediato successori, vid. Balbus *de præscript. part. 3. princ. part. 2. qv. 12. num. 7.* Brunnem. *in Comm. Cod. ad l. 11. C. de adquir. & retin. poss. & ad Auth. malæ fidei de præscript. long. temp.* Matth. Stephani *in Comm. ad Nov. 119. num. 15.*

§. XXX.

Exempla vitiorum personalium in rebus litigiosis vacuis & per vim compulsivam alicui extortis habuimus supra §. V. De immobilibus adhuc tale exemplum habet Julianus in *l. 33. §. 2. ff. de usurpat. Si dominus fundi homines armatos venientes existimaverit, atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi de-*

*vi dejectus videtur. Sed nihilominus id prædium etiam antequam in potestatem domini redeat, à bonæ fidei possessore usucapitur, quia lex Plautia & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent: non etiam ex quibus quis vi dejectus fuisset. Sermo hic est de hominibus armatis, qui ad illum fundum tendebant, ex quo possessor profugit: in l. 3. §. 7. ff. de vi & vi arm. autem (ubi dicitur: possessorem non censerî dejectum,) sermo est de hominibus armatis qui alio tendebant, non ad eum fundum, prout ex §. 6. d. l. 3. clare adparet. Nescio itaque, quid sibi velit acumen illud Gothofredi in not. ad d. l. 33. §. 2. ff. de usurpat. atque ita non censetur dejectus, qui visis hominibus armatis fugit: censetur, qui audito eorum adventu fugit: & merito, magis enim oculi, quam aures movent & perterrefaciunt; quamvis enim hoc forte dicat, Seneca; in legibus tamen à Gothofredo allegatis hoc vix fundamentum habet.*

## §. XXXI.

Quod res mobiles attinet, in iis non facile procedere dicit Imperator in §. 3. f. de usucap. ut b. f. possessoribus usucapio competat; sed tamen in §. 4. id aliquando aliter se habere addit. Nam si heres rem defuncto commodatam, aut locatam, aut apud eum depositam, existimans hereditariam esse, b. f. accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, quin is, qui acceperit, usucapere possit; dubium non est, quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: quin utique heres, qui b. f. tanquam suam alienaverit, furtum non committat. Glossa ad d. §. 3. huc etiam refert casum, si justo errore credam, me heredem esse, cum tamen non sim, item, si credam mihi legatum, cum sit ademptum, & ego interim rem hereditariam

D;

tariam

tariam aut legatam, (prout opinabar,) in tertium b. f. eam accipientem transfulerim, hujus enim intuitu ufucapio procedit.

§. XXXII.

Sed quid, si ipse commodatarius, depositarius, &c. rem commodatam & depositam alienaverit? Sunt quidem nonnulli DD. qui generaliter asserunt, intuitu rei commodatæ à commodatario alienatæ non adesse vitium reale, sed personale solum, conf. etiam de glossa supra §. VII. Verum enimvero in §. 3. *f. de usucap. inf.* expresse dicitur, quod *qui sciens alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum ejus committat.* Quod si ergo furtum adest, res vitio reali laborat ejusque ufucapio nec intuitu tertii b. f. possessoris procedere potest, quod ipsum ex contextu *d. §. 3.* liquido satis adparet. Ita in *l. 1. §. 2. ff. de furt.* dicitur, depositarium furtum committere, si depositum intercipiendi causa occultaverit. Idem obtinet, si quis eas res, quæ *levandæ navis causa in mare projectæ à fluctibus autem expulsæ sunt*, nec non quæ *de rheda currente ceciderunt* non intelligentibus dominis, lucrandi animo abstulerit, scilicet furtum ille itidem committit, & res ad tertium translata ufucapi nequit, §. *fin. f. de R. D.* Quod si vero inventor rem inventam publice indicaverit, nemo autem eandem repetierit, eo casu vitium furtivi cessat & res in tertium translata ab eodem ufucapi omnino potest. In Saxonia, si dominus intra sex septimanas non supervenit, jure suo plane excidit, *Landrecht l. 2. art. 37.*

§. XXXIII.


Quæcunque itaque supra §. VII. & X. de clandestinitate & precario tanquam vitium mere personalibus excidit

Glof-



Glossa & Bartolo adduximus: ea ad res *immobiles* solum restringi debent. Equidem secundum rationem & abstrahendo à jure civili ego nullam causam deprehendo, quare inter res mobiles & immobiles statuenda sit differentia; interim tamen in §. 7. *f. de usucap.* Imperator abolitam esse dicit quorundam veterum sententiam, *existimantium etiam fundi locive furtum fieri*, & eorum utilitati, qui res soli possident, principalibus constitutionibus prospici addit, ne cui longa & indubitata possessio debeat auferri. Ergo vitium personale solum est, si quis sciens fundum alienum tertio vendit. (vid. supra §. V. & XXX.) & fundus venditus à tertio illo usucapi potest: reale autem vitium subest, si quis rem alienam mobilem sciens vendit, *d. §. 3. & 7. f. de usucap.* Ratio differentiae in eo consistit: rei mobilis fit furtum, rei immobilis non item. Ratio hæc, quia magis vocabulum furti, quam ipsam rem respicit, non satis concludens esse videtur: interim tamen lex ita scripta est.

F I N I S.



CO-

COROLLARE.

Quod ex re furtiva redigitur, furtivum non esse, nemini dubium est; nummus ergo qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus, l. 48. §. 7. ff. de furt.



ULB Halle

3

003 486 338



5b

7A-100







1710 4.8. 13

G. 29. num. 25.

140 20

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

# TATIO JURIDICA DE O REALI PERSONALI,

Quam  
ANTE DIVINA GRATIA,  
MAGNIFICENTISSIMO,  
PRINCIPE AC DOMINO,  
PO WILHELMO,  
AE, MARCHIONE BRANDENB.  
MAGDEB. GVBERNAT. CETERA,

CADEMIA FRIDERICIANA,  
RÆSIDE  
RICO LUDOVICI,  
f. Publ. & Fac. Jurid.

Adfessore,  
ar. MDCCX. H. L. Q. C.  
itorum Examine submittit

D CHRISTIAN  
TINELLER,  
fis Magdeburgicus.

MAGDEBVRGICAE,  
ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

